





16  
PROGRAMMA SACRVM,  
QVO  
FRIDERICIANAE PRORECTOR  
IOANN. SALOMO SEMLER,

S. THEOL. DOCTOR ET PROFESSOR PVBL. ORDINARIVS,  
ET SEMINARIJ THEOLOGICI DIRECTOR,

CVM  
DIRECTORE  
ET TOTO  
SENATV ACADEMICO,  
CIVIBVS ACADEMICIS

MEMORIAM RESVRRECTIONIS DOMINICAE  
PIE RECOLENDAM INDICIT,

PRAEFATVS NONNVLLA  
DE SANCTO DEI NON RELINQVENDO  
IN INFERIS, NEC VISVRO CORRVPIONEM,

AD PSALMV M XVI, IO.

---

ANNO MDCCCXII. D. XI. APRILIS.

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

PROGRAMMA SACRVM  
vvo  
FRIDERICIANAE PROPECTOR  
IOANNI SALOMO SEMLER  
ET ALII  
DIRECTORE  
SENATVS ACADEMICI  
UNIVERSITATIS  
DE SANCTO DEI NON RENOVANDO  
IN INTERIS, NUC VISIRO CONSTITVITVM  
AD TERTIUM JUL 18  
HABITVS MAIORVM





§. I.

Recurrentibus nunc festiuis illis feriis, in quibus Ecclesia memoriam resuscitati ex mortuis Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi pie colit, incumbit vtrique nobis, vt vestras non minus, quam nostras mentes, ad tantum beneficium digne reputandum ac celebrandum erigamus, carissimi cives. Est enim momenti longe maximi, idque vt a Domino ipso, dum in his terris ageret, saepius praenunciatum, ita & a diuinis viris prophetisque veteris testamenti dudum ante, quam eueniret, praeuisum ac praemonstratum. Ex pluribus huc pertinentibus oraculis V. T. in praesenti hoc vnum capite, & apud animos vestros reputate, quod Psalmo XVI, 10. his verbis Ebraice conceptum est, לֹא תַעֲזֹב נַפְשִׁי לְשֵׁאוֹל לֹא תִתֵּן חַסְדִּיךָ, לְרֵעִהּ שֵׁוְהָהוּ, Latine vero ex versione Vulgata ita habet, *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

§. II. Haec vero, cives, ante omnia quaeritis, quaerere certe debetis, cum Aethiope illo, eunucho reginae Candaces, qui cum oraculum Esaiae de Christi passionibus, morte & resurrectione, in curru suo legisset quidem, sed non intellexisset, Philippo euangelistae, quem, datum sibi a summo Numine interpretem, rogauerat, vt adfunderet & sederet secum, dixit Act. VIII, 34. *Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de aliquo alio?* Vti vero tunc temporis Philippus, aperiens os suum, & incipiens a scriptura illa prophetica, euangelizauit illi Iesum v. 35. ita nunc nos quoque interrogantibus Vobis respondemus, Dauidem in toto illo Psalmo XVI, maximeque in verbis inde citatis, non de se ipso loqui, sed de Iesu Christo. Probamus hoc cum primis ex argumento tum totius Psalmi, tum verborum inde citatorum, quippe tali, vt neque Dauidi ipsi, vtut scriptori huius carminis prophetici v. r. nec alii personae praeter Christum, saltem sensu strictissimo & maxime proprio, competat. Quis enim, nisi Christus, dicere

dicere de se queat, *bonum illud suum*, quod v. i. Deum Patrem rogauerat, nempe ut se seruaret, esse necessarium, non quidem propter ipsum *Deum Patrem*, sed tamen *in gratiam & salutem sanctorum qui in terra sunt*, & si euentus spectetur, *gloriosorum, in quibus omnis futura sit oblectatio sua?* v. 2. 3. Quis item alius dixerit de se v. 9. *Etiams caro mea requiescet secure, & multo magis, v. 10. non derelinques animam meam in sepulcro, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem?* Denique quis alius dixerit v. 11. *Notam facies mihi viam vitae, abundantiam gaudiorum cum facie tua, & oblectationes ad dextram tuam in sempiternum?* imprimis si vltima haec verba comparentur cum Psalmo CX, 1. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos scabellum pedum tuorum:* qui locus haud dubie ad nullum alium, quam ad Christum, pertinet.

§. III. Obuerti potuerit contra sententiam nostram, primo, quod, quum titulus Psalms nostri v. i. habeat, *מִיְהוָה לְדָוִד* *Cimelium Davidis*, ab auctore, inde praesumi possit, precantem in hoc Psalmo esse ipsum Dauidem; secundo, Psalmum hunc tum ab *Aben-Ezra*, tum ab *Salomone Isaacide*, Iudaeorum celebratissimis interpretibus, in Commentariis suis explicari de Dauide ipso. Respondemus vero ad prius: Praesumptio haec locum habere potest, sed sub necessaria hac conditione, nisi praegnantibus adsint causae, ob quas credi oporteat, scriptorem sacrum non de se ipso loqui, sed alium loquentem inducere, ex more virorum *Θεοπεύσιων*: ut quum idem Dauid Ps. II, 7. 8. & VIII, 5. 6. totoque Ps. XXII, & ut plura loca nunc mittamus, Ps. CX, eundem Christum fermocinantem introducit. Huiusmodi vero praegnantibus causas iam adduximus §. II. & dabimus porro in seq. §. V. Quod vero ad alteram attinet obiectionem, estne mirum, homines Iudaeos, eosque infideles & euangelio Christi refractarios, oraculum hoc, quod Christi resurrectionem ex mortuis stabilit, malitioso animo, ut Apostolorum doctrinam, & argumentum, quod pro illa asserenda ex hoc loco capiebant, euerterent, conatos fuisse ad Dauidem ipsum detorquere? Eodem enim dolo vsi sunt in peruertendo Psalmo II, qui haud dubie ad Christum pertinet. Idem quippe *Salomo Isaacides* (*Raschium* vocant Iudaei) in Commentario suo ad Psalmum II, non erubuit scribere: *Rabbini nostri veteres allegorice explicarunt hunc textum de Mes-*  
sia,

*sia, sed secundum sensum litteralem* (addant heic MSta exemplaria Com-  
 mentarii Raschiani, וְלִתְשׁוּבַת הַמִּינִים & vt haeticis, h. e. Christia-  
 nis, respondere possimus) conuenientius est eum explicare de Dauide ipso.  
 Vbi contra alter Rabbinorum *Aben-Ezra* aliquanto sincerior est, cum  
 scribit: *Si de Messia accipiatur Psalmus, res multo clarior est.*

§. IV. Verum heic noua exurgit contra sententiam nostram  
 difficultas, nempe quod Pf. XVI, 10. Nomen *הַסִּידֵךְ* sec. *Keri* quidem  
 est *sanctum tuum* in Singulari, secundum *Kethib* vero *הַסִּידֵיךְ* *sanctos*  
*tuos* in Plurali: vnde consecuturum esset, vt textus noster non solum  
 ad Christum, sed etiam ad Dauidem, quinimo ad *sanctos Dei* quoscun-  
 que pertineret; inprimis si adoptanda esset B. IO. ANDR. DANZII hy-  
 pothesis, defensa in libro, cui titulus, *Sinceritas Scripturae V. T. prae-*  
*ualente Keri vacillans*, eo tendens, vt *τὸ Kethib* solum sit genuina &  
 auctoritatis diuinae lectio, *τὸ Keri* vero partus Masoretharum seu cu-  
 riosorum criticorum, loco irregularis & anomalae vocum formae a-  
 liam regularem & analogam, aut loco lectionis, quae Christianorum  
 doctrinae fauere videretur, aliam eamque Iudaicis principiis confor-  
 mem substituendum. Verum claudicat haec hypothesis. Primo enim  
 Masorethis perperam vt auctoribus tribuuntur *Kerian* vel *Karjan*, quae,  
 vtut a Masorethis collecta & recensita sint, tamen dudum ante Maso-  
 rethas Tiberienses exstiterant, vtpote iam in Talmude tum Babylo-  
 nico tum Hierosolymitano commemorata, (perinde ac variationes  
*Orientalium & Occidentalium*, de quibus alibi), v.g. in *Tr. Nedarin*  
 f. 37. 2. heic vero in *Sipbri & Megillath Sopberim*, citante I. G. CARP-  
 ZOVIO in *Critica S.* p. 333. Secundo *Kethiban* alicubi aequae analogae  
 sunt ac *Kerian*, vt Prou. 6, 14. מְרִיבִים & מְרִיבִים, Ier. 18, 23. יְרֵדוּ & יְרֵדוּ.  
 Terrio eadem *Kethiban* alicubi etiam planiora, regulariora & magis  
 analogae sunt, quam *Kerian*, vt Iob. 41, 4. Pf. 139, 16. לוֹ & לֹא, Pf. 123, 4.  
 תְּהַלֵּל & תְּהַלֵּל, Ier. 49, 25. בְּשֵׁי & בְּשֵׁוּ, Pf. 24, 4. לְגֵאֵי יוֹנִים & לְגֵאֵי יוֹנִים.  
 2 Sam. 3, 5. מְבֹרָךְ & מְבֹרָךְ cet. Quarto *Kerian* doctrinae christia-  
 nae sunt fauentiora, quam *Kethiban*. Ex pluribus exemplis capite hoc  
 ipsum, de quo in praesenti: *Kethib* est *הַסִּידֵיךְ* Pluraliter *sanctos tuos*,  
 & *Keri* *הַסִּידֵךְ* *sanctum tuum*, Singulariter; illa lectio esset contra do-  
 ctrinam Euangelii, haec pro illa. Estne vero credibile, Masorethas,  
 siquidem hi auctores *τῶν Kerian* fuissent, voluisse doctrinae Apostolo-  
 rum

rum fauere? Conatus est quidem IO. LEONH. RECKENBERGERVS in *Progr. critico de genuina lectione a scriptione vocis חסידך* τὸν ὁσίον σε *Pf. XVI, 10.* cum *Danziana* hypothesi de origine τῶ *Keri* exemplum hoc ei contrarium conciliare, aiens, in S. Scriptura exempla deprehendi, in quibus littera *Iod* actuale precedentis literae motum per Schua simplex notet: sed exempla, quae adducit, omnia ita sunt comparata, vt quod secundum *Keri* est Singulare, sec. *Ketbib* sit Plurale aut aliam Nominis formam notet, e. g. *Zachar. 1, 4.* sec. *Keri* וַיִּשְׁלַחְכֶם, sec. *Ketbib* וַיִּשְׁלַחְכֶם, *Iud. 13, 17.* 1 *Reg. 8, 26.* cap. 22, 13. *Pf. 119, 147.* & *Eldr. 10, 12.* דְּבָרְךָ in Sing. sec. *Keri*, at דְּבָרֶיךָ in Plur. sec. *Ketbib*, 1 *Sam. 24, 5.* אֵיבֶיךָ sec. *Keri*, אֵיבֵיךָ sec. *Ctbbib*; non obstante discrepantia Numeri in sequente Pronomine וָ; 2 *Sam. 1, 16.* דְּמַךְ sec. *Keri*, at דְּמָרְךָ sec. *Ketbib*; *Esa. 26, 20.* דְּלִרְךָ sec. *Keri*, at דְּלִרֶיךָ in Duali sec. *Ketbib*; *Psal. 145, 6.* גְּדֻלֹתֶיךָ sec. *Keri*, at גְּדֻלֹתֶיךָ sec. *Ketbib*, docente id vel ipso *Vau* pluratiuo feminino, quod τῶ *Ketbib* simul infertum est. Manet ergo, quod *David Kimchi* in *Comment. suo* ad 2 *Sam. 21, 12.* recte monuit, *Ctbbiban* & *Kerian* in vniuersum nil aliud esse, quam שְׁמֵצוֹת אֲחֵרֵי הַגִּלּוֹרִי variantes lectiones, quae re-  
*pertae sunt* in codicibus *MSCris post captiuitatem Babylonicam*: idque ita, vt *Ketbiban* tantummodo ratione consonantum, *Kerian* vero non nisi ratione punctorum vocalium, diacriticorum, accentualiumque, (praeter consonas margini adiectas) in ipso textu ponentur. Iam vero variae lectiones omnes ita sunt comparatae, vt subiaceant examini critico, ad definiendum, vtra illarum sit vel genuina, vera, originaria, vel scribarum errore nouiter inducta & falsa. Et nostro quidam in loco leges criticae haud dubie palmam decernent non τῶ *Ketbib* חסידך *sanctos tuos*, sed τῶ *Keri* חסידך *sanctum suum*, tum propter causas §. III. IV. modo expositas, tum, quod dictis nunc adiciamus, propter consensum veterum metaphrastarum omnium, vt sunt *LXX. Graeci, Vulgatus Latmus, Chaldaeus, Syrus, Arabs, Aethiops*: vtpote qui vnanimiter non *sanctos tuos* secundum *Ketbib*, sed *sanctum t. i. ipsum tuum* verterunt secundum *Keri*, certo satis indicio, hanc lectionem ab eis habitam esse pro genuina.

§. V. Quod vero per *Sanctum Dei* non *Dauid ipse*, nec alius vllus hominum sanctorum, sed *Christus solus* priuatiue & exclusi-  
 omni-



omnibus aliis intelligi debeat, extra omnem dubitationem ponit irrefragabilis auctoritas, eaque gemina, vna Petri, altera Pauli. Etenim prior Petrus, quum in solemnissima illa panegyri primi Pentecostes diei Psalmum hunc XVI. in Christo ex mortuis resuscitato impletum fuisse dixisset Act. II, 25-28. huic assertioni firmandae subdit v. 29. 30. 31. *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est, & sepultus; & sepulcrum eius est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, & sciret, quia iurcitrando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc Iesum resuscitauit Deus.* Posterior vero testis Paulus Act. XIII, 35-37. ita: *Idoque & alius dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. David enim in sua generatione eum administrasset voluntati Dei, dormiuit, & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem. Quem vero Deus suscitauit a mortuis, non vidit corruptionem.*

§. VI. Ceterum declarandis modo dictis obseruationes aliquas adiciamus. Harum prima esto: *Non derelinques animam meam in inferno*, vi proprietatis Ebraicae ita sonat: *Non relinques (i. e. concedes, permittes) animam meam inferno.* Altera: *anima* quidem Christi ipsam eius, vtut mortui, *personam funusue* ita heic notare potest, vti Leu. 19, 28. c. 21, r. II. & alibi; quin & apud ipsum *Virgilium* Aen. Lib. III. v. 67. 67. *Animamque sepulcro condimus.* Tertia: *Infernus* non supplicii damnatorum, sed sepulturae mortuorum est, vt sensus sit: Non ita sepulchro cedere fines ratione corporis, vt sepulchrum me detineat, ac detentum corruptioni obnoxium reddat. Quarta: *חַסֵּד*, quum sit a *חַסֵּד* benignitas, gratia, pietas, proprie notat *benigne, religiose ac pie adfectum*, metaphrastae Graeci, vt alibi passim. Ita heic *Sanctum* verterunt, siue per metonymiam, siue ex conuenientia cum Syr. *חַסֵּד* sanctus, vnde & Gr. *ἅγιος* sanctus. Quinta: *videre corruptionem*, est sentire & experiri corruptionem, eique fieri obnoxium; vt dicitur *videre famem* Ier. 5, 12. *videre malum* Pf. 90, 15. *videre afflictionem* Thren 3, r. *ὄψαι* vel *θεωρεῖν θάνατον* videre mortem Luc. 2, 26. Ioh. 8, 51. Sexta: Nomen *שְׁחַת* h. l. non est fouea, ac peculiariter *sepulcrum*, a *שָׁחַת* vel *שָׁחַת* *humilem esse profundumue*, vt pote quod Christus.

stus, in cruce mortuus indeque sepultus, vtiq̄ vidit, sed potius *δυσ-  
φραγὸν*, vt Graeci verterunt, indeque citarunt Apostoli, a *חַיָּו* cor-  
ruptit, perdidit, vtpote a qua corruptione corpus Christi immune  
mansit.

§. VII. Quod superest, cives carissimi, & vos maxime, qui  
theologiae studio vos addixistis, cognoscitis vel ex hoc ipso loco Da-  
vidis, principale Obiectum, de quo V. Testamenti scriptores vatici-  
nati sunt, esse Christum: docente id ipso Domino, qui cum Emma-  
unticis discipulis vadens, *incipiens a Mose, & omnibus Prophetis, inter-  
pretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant* Luc. XXIV,  
27. iterumque v. 44. *Necesse est, inquit, impleri omnia, quae scripta  
sunt in Lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me.* Vnde absit per  
Deum a nobis profanitas illa mentis *Wertbemiensis* aliorumque simi-  
lium ex nouioris temporis interpretibus, qui parum aut nihil in Mo-  
se, Prophetis Psalmisque, quod literaliter de Christo agat, visi sunt  
sibi reperisse; angustiores multo quam ipsi veteres Iudaeorum magi-  
stri, qui, teste *R. Bechai* in Comm. ad Pentat. f. 150. e. dixerunt: *O-  
mnes Prophetiae, omnes, inquam, vaticinati sunt de diebus Messiae.* Co-  
gnoscitis indidem veritatem religionis christianae fundamentalem,  
Iesum esse Christum, vtpote mortuum quidem ac sepultum, sed & re-  
suscitatum a mortuis, nec corruptioni in sepulcro obnoxium factum:  
quod signum veri Messiae Dominus ipse ante mortem suam constituerat  
Io. II, 19. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, loquens* (vt  
v. 21. additur) *de templo corporis sui.* Quod Paulus summam praedica-  
tionis suae fecit i *Cap. XV, 3, 4, Christus, inquit, mortuus est pro pec-  
catis nostris secundum Scripturas, & sepultus est, & resurrexit tertia die  
secundum Scripturas.* Denique cognoscitis hinc, necessariam esse criti-  
cam sacram ad intelligentiam Codicis Ebraei: sed cauendum ma-  
gnopere, vt ne temerariam ac vanam obrudi nobis patiamur criti-  
cam, v.g. Masorethis Tiberiensibus tribuendo, quae quidem ab his  
collecta & numerata sunt, sed originem dudum ante Masorethas ha-  
buerunt; quale in nostro loco erat *Kei קיי קיי*, non *sanctos tuos*, sed  
in quo finimus, *Sanctum tuum.* P. P. in feriis Dominicae re-  
surrectionis anni cDc lxxxii.







1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

PROGRAMMA SACRVM,  
QVO  
FRIDERICIANAE PRORECTOR  
IOANN. SALOMO SEMLER,  
S. THEOL. DOCTOR ET PROFESSOR PVBL. ORDINARIVS,  
ET SEMINARIJ THEOLOGICI DIRECTOR,  
CVM  
DIRECTORE  
ET TOTO  
SENATV ACADEMICO,  
CIVIBVS ACADEMICIS  
MEMORIAM RESVRRECTIONIS DOMINICAE  
PIE RECOLENDAM INDICIT,  
PRAEFATVS NONNVLLA  
DE SANCTO DEI NON RELINQVENDO  
IN INFERIS, NEC VISVRO CORRVPIONEM,  
AD PSALMV M XVI, IO.

ANNO C1D1OCCLXII. D. XI. APRILIS.

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.